1532. d. 24. Martii

Franciscus Episcopus Transylvanensis Regi Poloniae.

69

Sacra Regia maiestas Domine mihi gratiosissime.

Post perpetuae servitutis meae ad pedes maiestatis vestrae commendationem hoc mane post datum mihi responsum, obsignatisque literis ad maiestatem vestram ad me datis, cum adhuc essem in conspectu Domini voiwodae moldaviensis coepi invehere, in eum cur tantam tam honestissimae pacis occasionem abiecerit, tranquillo admodum et quieto animo respondit se non in malum finem, neque in conspectum maiestatis vestrae hoc fecisse sed ut aliqua spes adhuc sibi reservaretur rehabendorum saltem aliquid eorum quae in proximo bello contra maiestatem vestram amisit. Quo factum est ut promiserit sese et suos in pace et quiete tenere et conservare, tam diu donec maiestas vestra et sui subditi cum eo in pace manebunt. Nunc ego recto itinere Deo dante ad Dominum Principem meum gratiosissimum serenissimum

Ioannem

Joannem Regem Hungariae suum profectu-
rus reversurusque cui haec eadem omnia
quae et apud Maiestatem vestram S. et in
Post hic apud Voiewodam moldaviensem
acta sunt ordine suo ad unguem refer-
rem. Qui rei certus sum sua Sacra-
maiestas prout omni dubio providebit
et non sinet, neque sustinebit haec mala
inter Maiestatem vestram Serenissimam
quam loco Domini et Patris sui duxit, et
observat, et ipsum Moldavum Voiewodam
evalescere interea dignetur Maiestas
vestra vehementer supplico, quieto et
tranquillo animo fore, et nihil hostili-
tatis facere inferri ad terram Mol-
daviae. Identidem et ipse voivoda rece-
pit se facturum prout per hominem
et nuntium spectabilis et magnifici
Domini Palatini Podoliae et Capita-
nei Maiestatis vestrae Camenecensis
abunde idem Dominus Vaivoda
Moldaviae nunciavit. me et servitia
mea Maiestati vestrae Commendo.
Datum in Oppido Jarvaz in Dominica
Ramis Palmarum anno Domini 1532.